

III.
NEOVIDENSIS
Nro. 12. (Neovidensis 1808. Nro. 9.)

Politica mortuorum Colloquia.

Elysium Menm. - Die Venetis. 12. Feb. 1808 (Neov. 26. Jan. 1808.)

— — — Nemesis
Quandoque lenta sed tuta 'ultrix.

Terent.

Sermocinantes Manes.

Michael Denis. Philippus Holt.

Holt: Historiæ nonnulla argumenta Neme-
sis etiam veterum illustrat, & explicat.

Denis. Prodierunt priore Seculo Historici,
qui contrarium propugnare; Celebris *Vol-*
taire in his eminebat; in ejus historia nun-
quam non vitium triumphat. contra succum-
bit virtus; nihilominus Cœli æquitas ubivis
perspicua adparet, nonnunquam lentus pro-
gressus exerit ad integras sæpe generationes,
sed certe tamen effectus exerit.

Holt. Hoc quidem profecto pœnæ divinæ
nomine possis compellare; verum amande
Denis! hodierna luce obscuri homuncionis
nomine traduceretur, qui infaustus & adver-
sos Casus id genus pœnis attribueret.

Denis. Historiam inde a vicennio apud
animum expendenti illucebit: ut quævis mala
actio, alia mala actione punita fuerit; Homo,

ambiguum hoc ens, ludus suarum animi affectionum prensat & aucupatur fortunam, quam nullo unquam explere potest tempore, & ut quæso, etiam in hoc mundo, qui quotidie fragilis ei existentiae suæ imaginem exhibet, felicitatem inveniendò esset? absque futuræ vitæ spe, animus nequit aquiescere.

Holt. In mundo superiore plures in argumento ordinis nostri, & ejusdem vicissitudinum meditationes instituebam.

Denis. Sunt hæc divinæ ordinationes, quas homo declinare nequit — quid juvat eum iis obniti? Justissimus digitum omnipotentis dextræ suæ levat, & ecce! malum evanescit, ipse malevolus in animo convincitur: justum omnia moderari Deum.

Holt. Possem plura ad hoc argumentum facta in medium adducere; at —

Denis. Parce Frater dilecte! vix cicatrix concreta nequaquam refricanda est; Cum spiritu humilitatis, & animo subjectionis dicendum est: Domine fiat voluntas tua.

Holt. Pietate inclyte Denis! manum ponam de Tabula — præstat, si vacat, in hoc spatioso nemore politicas periodicas ephemerides oculis menteque percurramus; (legunt.)

Ultrajecto die 19. Jan. Edita sunt bina in argumento obsidendorum hostilium portuum Decreta — Primum de 8. h. m. quo innuitur: ut quævis naves, quæ ab Anglis perlustrari se sivere, aut Angliam petiverunt, aut qualemcunque demum præstationem Anglis dependerunt, seu Anglicana proprietas considerandæ, & pro-

ut opimum spoliū tractandæ sint. Alterum cumprimis concernit Sveciam & ita se habet:

Ludovicus Napoleon &c. Certiores redditi de eo: quod nostra edita in argumento obsidendarum Insularum Britannicarum Jussa non eo, quo par est, rigore adversus Svecicas naves custodiantur, & considerato eo: quod Regnum isthoc eadem cum Svecia, quæ cum Anglia ratione in statu belli constituitur, sequentia decrevimus, & decernimus.

1) Quævis portum nostrum subiens navis Svecica confestim apprehendenda mercesque Svecicæ e vestigio sequestrandæ 2) Quivis Svecici subditi, qui antea diplomaticum aliquod munus, Consulis aut Agentis, in nostro regno obiverunt, & ætutum in eo commorantur, obligati sunt: illico promulgato præsentè Edicto discedere. 3) Quivis Sveciæ subditus in nostris portibus, aut aliis arcibus de præsentè commorans, indilate capiendus, & Jure belli detinendus tractandusque. 4) Quævis obsidendi Insulas Britannicas ratio ad Sveciam quoque extendatur. &c.

Fertur Supremum Nationale Tribunal, quod Hagæ sedem habet, in duas Sectiones dividendum, quarum altera Amstelodamum, Schiedamum altera transferenda; dicitur quoque: provincialem Præfectum provinciæ Mosanæ Haga Rotterodamum, quæ provinciæ primaria urbs futura, concessurum. Procella nupero Veneris in Provincia Zeelandia ingentia damna intulit. Aquarum altitudo 4 pollicibus major quam Anno 1688 fuit. Aggeres

multi, & hydraulica opera destructa sunt —
Ad Ysselmondam duæ naves in aggerem actæ
perierunt.

Memoria die 4. Jan. Priore mense sequens
Declaratio emanavit:

„Cum obligationes, quas Borussia pace
die 9. Julii 1807. Chronopoli inita contraxe-
rat, Articulo 27. memorati Tractatus exigant;
ut quamdiu bellum Galliam inter & Angliam
duraverit, omnes portus & ditiones Borussicæ
absque exceptione commercio & navigationi
Anglorum oclusæ habeantur; idcirco Sua Bo-
russica Majestas non distulit ad exequendam
hanc obligationem opportunissima media ar-
ripere.

„Dum Sua Maj. operi manum admovebat,
non reticebat damna, & detrimenta, quæ ex
eo in commercium, & ditiones, subditos-
que suos redundarent; qui longa infortu-
norum serie nova jura prætendendi pater-
nam sollicitudinem acquisierunt, — at tem-
pore executionis horum mediorum ea se ad-
huc spe solabatur: per Intermediationem a
Cæsarea Majestate Russica Regi M. Britannicæ
oblatam pacis definitivæ Galliam inter & An-
gliam reversionem in genere faciliorem red-
ditum, atque protinus quietiorem rerum or-
dinem pro omni Statu allatum iri.”

Verum justæ S. M. expectationes spe
frustrabantur, — eventus, qui medio tempore
locum habuere, quique multo notiores sunt,
quam ut in memoriam adferendi sint, hi in
quam spem universalis pacis tantopere expe-

titæ tantum abest ut ampliorem reddiderint, ut potius eam magis attenuarint."

„Communicatio Russiam inter & Angliam abrupta est; Declaratio Sux Maj. Cæsares Russicæ de 26. Oct. 1807 argumento est: inter utrumque Statum nullam intercedere amplius relationem, & Sua Borussica Maj. quæ ex omnimoda status ratione cum Causa & Systemate vicinorum & amicorum continentis Statuum arcte nexa est, nullam aliam agendi normam reliquam habet, quam suam per rationem Status sui motivum adeptas obligationes, quæ per Tractatus solenniter initæ sunt.

„Vigore hujus principii renunciat Sua Maj. rationibus, quæ ad hoc usque ex vana spe universalis pacis propediem reducendæ in honore habebantur; Eademque jam modo, cum jam a tempore missionis *Ill. Hutchinson* nulli diplomatico Anglicano Agenti ad aulam suam aditum admisit, aut eum agnoverit, legato suo Londinum jussum expediverat: e vestigio Insula degedendi & continentem repetendi.

„Dum hac ratione Sua Maj. Decreta in effectum deducere se testatum reddet, quæ obligationum suarum gravitas & emolumentum Monarchiæ suæ deposcit, præsentibus declarat: usque tempus universalis conciliationis atque reversionem definitivæ pacis inter memoratos belligerantes Status nullam Angliam inter & Borussiam relationem locum habituram. Memeliæ die 1. Dec. 1807.

NB. Biographiæ huc spectantes proximo Neovid. inserentur.

*Continuatio Responsi Regis M. Britanniae ad
Declarationem aulae Petropolitanae.*

Quanto majorem vero Imperator Russiæ sua ex parte quietis Maris Balthici rationem curamque habet, prout ipse asserit: per immediatos antecessores: Imperatricem olim *Catharinam*, & Imperatorem condam *Paulum* in se derivatam esse, tanto minus se læsum existimare deberet: se a Sua Maj. ad vadimonium (*Gvarantiam*) inter M. Britanniam & Daniam præstandam provocatum, interpellatumque esse; in hac omni cum fiducia, & qua potuit sinceritate facta provocatione, Sua Maj. nequaquam consilium habebat, Imperatorem Russiæ offendendi, neque mente concipere valet eum abs se offensum esse, tanto minus Sua Maj. assequi potest: ut Daniæ, cujus principi coronæ pacis condiciones proposuit quales nec bello felicissime etiam gesto obtinere potuisset. Sua Maj. se objectioni exposuerit: Daniam denuo irritare, aut ejus dignitati detrahere.

Sua Maj. igitur diversis querelis respondit, quibus Russicum regimen dissolutionem vinouli, quod seculis in emolumentum M. Britanniae & Russiæ perstitit, propugnare, & effectus auctoritatis exteriæ velare satagit, per quam novo se injusto bello, in gratiam emolumentorum, quæ nequaquam sua sunt, se irretiri & abripi videt. Declaratio Russica diversas exprimit condiciones, quarum acceptatione solum hostilitatibus finis imponi, atque relationes veteres inter utrumque Statum denuo restitui possint, Sux Majest.

præsto jam erat occasio adnotandi: nullo unquam tempore subditis Sux Maj. justitiam denegatam fuisse; Sua Maj. tantum operæ impendit ad bellum Danicum terminandum, ut quævis ulterior in hoc argumento declaratio supervacanea sit; at nequit, fervorem Russiæ Imperatoris pro obtentione idmodi resultati, cum nuperna cunctatione Cæsareæ Maj. suam operam ad adipiscendum eundem hunc scopum navandi & conferendi, nequit inquam combinare; petitio Cæsareæ Maj. immediate pacem cum Gallia conficiendi, *secundum essentiam* suam æque singularis est, quam *secundum formam*, qua pollet, læsiva. Nullo unquam tempore Sua Maj. denegavit, aut tergiversabatur cum Gallia de pace tractare, ut primum *Potentia* hæc desiderium indicaverat, rationibus fundamentalibus acceptabilibus tractandi. Imperatoris Russiæ memoria exidere non potuit: novissimam M. Britanniam inter & Galliam tractationem ob *puncta* abruptam esse, quæ immediate nequaquam emolumenta Sux Maj. verum Cæsarei sui Fœderati concernebant.

Ceterum: nequaquam Sux Maj. mens est usurpationibus Imp. Russiæ: sibi tempus rationemque negotiatorum pacis cum aliis Statibus præscribendi, indulgere. Nullo unquam tempore Sua Maj. toleratura est: ut ullum aliquando regimen in vicem humiliationis suæ indulgentia in Galliam per insultantem atque imperiosam loquendi rationem adversus M. Britanniam semet indemnem reddat. Sua Maj. proclamat denuo principia *Legis Nauticæ*,

adversus quam armata neutralitas sub auspiciis Imperatricis olim Catharinæ dirigebatur, & quibus de præsentis Russia bellum indicat, hæc principia, ab omnibus Europæ Statibus agnita, quæ eis se accommodavere, & nullus quidem adcuratius, quam ipsa sub regimine condam Catharinæ Russia.

Sua Maj. Jure & obligatione pollet, hæc principia manutenendi, quæ tum ope divinæ providentiæ adversus quamvis confœderationem in effectum deducendi firmum propositum habet. Eadem quovis tempore ad conservationem potentiæ maritimæ Angliæ essentialiter contulerant, eorum vero gravitas non amplius in calculum ducenda est, ex quo maritimæ M. Britannicæ vires unicus agger adversus continuo & indesinenter se explicantes Galliarum, usurpationes, atque unicum asylum facta sunt ad quod aliæ nationes felicioribus temporibus semet recipere possunt. Sua Maj. omnem occasionem, quæ se ad restaurandam M. Britanniam inter & Russiam pacem oblatura, sollicite arreptura est. Nulli Eadem assentiendum, nihil petendum habet, proinde negotiationes neque difficiles, neque implicatæ erunt. Sux Maj. satis erit, si Russia pro pensionis argumentum ediderit pristinæ amabili sentiendi rationi erga M. Britanniam, rectæ suorum emolumentorum æstimationi tamquam independens natio se restituendi. Datum in Abb. West Monast. die 18. Dec. 1807.